Quelle: http://manuscripta.at/?ID=42092
Copyright: Bozen/Bolzano, Museumsverein (Depot im Stadtmuseum)



me tenuistis. Hoc autem totum factum est. ut implerentur scripture
prophetarum. Tunc discipuli omnes relicto eo. fugierunt. At illi tenen
tes ihesum. duxerunt ad cayphan principem sacerdotum. ubi scribe et
pharisei et seniores conuenerant. Petrus autem sequebatur eum alon
ge. usque in atrium principis sacerdotum. Et ingressus intro sedebat
cum ministris. ut uideret finem. Principes autem sacerdotum et omne
concilium querebant falsum testimonium contra ihesum. ut eum morti tra
derent. Et non inuenerunt. cum multi falsi testes accessissent. No
uissime autem uenerunt duo falsi testes. et dixerunt. Hic dixit.
Possum destruere templum dei. et post triduum reedificare illud.
Et surgens princeps sacerdotum. ait illi. Nichil respondes ad ea.
que isti aduersum te testificantur? Ihesus autem tacebat. Et princeps
sacerdotum ait illi. Adiuro te per deum uiuum. ut dicas nobis si tu es
xpus filius dei uiui. Dicit illi ihesus. Tu dixisti. Veruntamen dico uo
bis. amodo uidebitis filium hominis sedentem ad dextris uirtu
tis dei. et uenientem in nubibus celi. Tunc princeps sacerdotum
scidit uestimenta sua dicens. Blasphemauit. Quid adhuc egemus
testibus? Ecce nunc audistis blasphemiam. Quid uobis uidetur?
At illi respondentes dixerunt. Reus est mortis. Tunc expue
runt in faciem eius. et colaphis eum ceciderunt. Alii autem palmas
in faciem eius dederunt. dicentes. Prophetiza nobis xpe. quis est
qui te percussit? Petrus uero sedebat foris in atrio. Et accessit
ad eum una ancilla dicens. Et tu cum ihesu galileo eras. At ille
negauit coram omnibus dicens. Nescio quid dicis. Exeunte autem
illo ianuam. uidit eum alia ancilla. et ait his qui erant ibi. Et
hic cum ihesu nazareno erat. Et iterum negauit cum iuramento dicens.
quia non noui hominem. Et post pusillum. accesserunt qui stabant.